





PETER
SEABY



POPULORUM ET URBIUM,

SELECTA NUMISMATA GRAECA

EX AERE;

DESCRIPTA, ET FIGURIS ILLUSTRATA,

AB

EDVARDO HARWOOD.

ACCEDIT

INDEX GENERALIS TUM AUTONOMORUM, TUM IMPERATORIORUM, CUM EORUM RARITATE.

——— Inclusum itaque in nummis nobile historiarum opus, atque ideo alibi collapsam restituunt numismata, et illustrant historiam antiquam.

Jos. Mar. S. de Num. Antiq. Amst. 1688.

LONDINI:

TYPIS T. BENSLEY, IN VICO VOCATO FLEET STREET.

VENEUNT APUD J. JOHNSON, ET SOC. BIBLIOPOLAS, IN AREA PAULINA, DICTA ST. PAUL'S CHURCH-YARD.

1812.

PHILIPPO NEVE,

VIRO ERUDITIONE PRAECLARO;

ET DOCTRINA NUMISMATICA

EGREGIE ORNATO,

HANC APPENDICULAM

AD NUMISMATA GRAECA HACTENUS EDITA,

D. D. D.

ED. HARWOOD.

LECTORI.

Nummi omnes, qui in hoc opere descripti, ex aere sunt; quorum nonnulli incogniti neque in eruditorum cimeliis, neque apud auctores reperiuntur. Caeteri typos ineditos, vel ab iis adhuc cognitis diversos, aut alia notanda, ni fallor, exhibent.

Fateor me aliqua numismata, quae ab aliis antea vulgatis, haud multum discrepant, hic protulisse; sed videndum, illa ad antiquas opes nostras veram accessionem, et varietatem afferre; et me ex rei numismaticae scriptoribus exemplum sumere. His de causis eruditi venerandae antiquitatis investigatores, quos haec studia oblectant, facile mihi ignoscent; cui enim ea, quamquam exigua discrimina inter se habentia, cum vere Graeca, fastidium movebunt?

Quamvis numismata fere omnia, quae nunc promulgavi, nuperrime a me acquisita, curavi tamen, ut quamprimum aeri incidenda, et publici juris essent, et omnes quasi eorum participes fierent.

Cum magna meae appendiculae pars typis mandaretur, alterum nummorum Populorum Urbiumque ex aere acervum opportunissime nactus fui; de quo, autonomos aliquos unicos, vel summa raritate, et novitate praeclaros, selegi. Inter urbes, Antandrus Mysiae, Perperene Mysiae, Nola Campaniae, Amphissa in Locris Ozolis, Arsinoe Cretae, Acrasus Lydiae, Aea Syrticae, Conane Pisidiae, Sicyon Achaiae, Halicarnassus Cariae, Colossae Phrygiae, cum Tyra Sarmatiae Europaeae, postea adepta, conspicuae sunt; quas, cum aliis, quae nummis earum antea prolatis, typorum vel epigrapharum differentiam proponunt, occasione oblata, descripsi, et ad hujus operis

finem in Tab. vi. et vii. ut supplementum, exhibui.

Indicem subjeci generalem, tum Autonomorum, tum Imperatoriorum, qui in nummis aureis, argenteis, aeneisque reperiuntur, cum eorum raritate, auctiorem, et, ut puto, utiliorem aliis antehac in lucem datis; iis accommodatum hujus artis studiosis, qui antiqua numismata colligunt.

Londini, in Vico dicto Kirby Street,
Calendis Februarii, 1812.

POPULI ET URBES

QUORUM NUMMI IN HOC OPERE EDITI.

Cephaloedium Siciliae
Chalcis Euboeae
Chios Insula
Cos Insula

Dardanus Troadis
Delphi Phocidis

Elatea Phocidis
Ephesus Ioniae
Epidaurus Argolidis
Eretria Euboeae
Erythrae Ioniae
Euboea Insula

Heraclium Chersonesi Tauricae

Ilium Troadis
Istiaea Euboeae
Iulis Ceae

Lacanatis Ciliciae
Lacedaemon Laconiae
Lampsacus Mysiae
Larissa Thraciae
Leucas Acarnaniae

Magnesia Ioniae
Malienses Thessaliae
Megara Siciliae
Mena Siciliae
Methymna Lesbi
Mytilene Lesbi

Naxus Insula

Ophrynium Troadis
Opuntii Locridis

Parium Mysiae
Pelusium Aegypti
Petra Marmaricae
Phaestus Cretae
Philippi Macedoniae
Phocis
Pisaurum Umbriae.

Sacili Hispaniae
Salamis Insula
Samos Insula
Sigeum Troadis

Tenedos Insula

SUPPLEMENTUM.


Aea Syrticae
Amphissa in Locris Ozolis
Antandrus Mysiae
Arsinoe Cretae
Attalia Pamphyliae
Cephaloedium Siciliae
Colophon Ioniae
Colossae Phrygiae
Conane Pisidiae
Halicarnassus Cariae
Henna Siciliae
Ios Insula
Leucas Acarnaniae
Melos Insula
Naxus Insula
Pallenses Cephaleniae
Parium Mysiae
Tenos Insula
Zacynthos Insula

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 13. Dele vel Carystos.
... 28. insculpandum *lege* insculpendum.
... 29. Mitylenem *lege* Mitylenen.
... Ibid. pampinis ornatum *lege* hedera vinctum.
... 30. Infra, palmes *lege* s. hederae palmitem.
Absque palmite *lege* absque hederae palmite.
... 37. ejusdem Boetiae *lege* ejusdem Boeotiae.
... 49. non pridem *lege* non prius.
... 58. ΕΤΡΙΠ. Diota. *adde* Supra, Luna crescens, ut videtur.

Antandrus Mysiae *adde* Aut. Æ. unicus in hoc opere descript.
Erythrae Boeoticae *lege* Erythrae Boeotiae.
Evippe Cariae *adde* Æ.
Gaba Traconitidos *lege* Gaba Trachonitidos.
Nea Insula *adde* in monogrammate.
... 41. Saxus, vel Axus, Cretae, Aut. Æ. R.
Tyra Sarmatiae Europaeae. *adde* Aut. Æ. unicus in hoc opere descript.

Hos duos nummos, propter eorum merita, opere jam typis mandato, hic inserui.



TYRA SARMATIAE EUROPAEAE.

Caput Bacchi imberbe hedera revinctum.


ΤΥΡΑΝΩΝ in monogrammate. Pharetra.

Haec urbs ad fluvium cognominem sita; Milesiorum colonia. Ejus meminit Ovid. Pont. 4. 10.

Partheniusque rapax, et volvens saxa Cynapes,
Labitur, et nullo tardior amne Tyras.

Plin. lib. 4. *Clarus amnis Tyras, oppido nomen imponens, ubi antea Ophiusa dicebatur.*

Hic fluvius Tyra, vel Tyras, dictus, hodie Dniester. Mihi valde gratulor de hujus monogrammatis affabre contexti explicatione, propterea quod autonomus Tyrae antea ignotus. Imperatorii a Vespasiano usque ad Getam pergunt.



ZACYNTHOS INSULA.

Caput imberbe galeatum.

Zeta Magna.

Hic nummus ineditus per Zetae magnae formam insignis, quae perraro occurrit, nempe, in antiquissimo Naxi Siciliae. Hunter. Alexandri 1 Macedoniae, Axi, vel Saxi, Cretae. Dutens. Pag. 165. et Xenophontis, Coi medici. Pellerin. Recueil de Med. de Rois,tab. 22.

Notandum est, me complura numismata, quae non ex collectione Com. de A—— deprompta, in hoc volumine publicâsse.

SELECTA NUMISMATA GRAECA.

ABDERA THRACIAE.

ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ. Caput juvenile in quadrato.

Gryphus alatus. Sub pedibus clava.

Tab. 1. Fig. 1.

Urbs ista non solum Democritum physicum, verum et Protagoram, et Anaxarchum, plurimosque alios insignes viros tulit.

Nummi Abderae aenei inter rarissimos adsignandi. Hic clava insignitus.

ACANTHUS MACEDONIAE.

Caput imberbe galeatum.

AKAN. intra rotae radios.

Tab. 1. Fig. 2.

Urbs antiquissima et opulenta a Romanis vi capta, ac direpta. V. C. 550. *Vide Liv. lib.* 31, *cap.* 45.

Numismata hujus urbis aenea inter rarissima collocantur. Cl. Pellerinius unum non produxit. Nostrum ab illo a Cl. Combio edito, diversum est.

ACHAIA.

Caput imberbe.

ΠΕΙΝΑΤΙΩΝ. AX. in monogrammate.

Tab. 1. Fig. 3.

Nullus auctor, quod sciam, Achaeorum aeneum cum magistratus nomine, iis Foederis Achaici exceptis, antehac vulgavit. Hic probe conservatus est.

ALIUS.

Caput barbatum.

AX. in monogrammate intra coronam lauream.

Tab. 1. Fig. 4.

Singularis est hic nummus.

ALIUS.

ΑΧΑΙΩΝ ΛΕΟΝΑΙΩΝ. Jupiter sedens d. extensa; s. hastam.

Figura stans. Epigraphe vetustate extrita.

Tab. 1. Fig. 5.

Nummus hic etiam singularis, durante Foedere Achaico, cusus.

Magistratus nomen pro urbe in hisce numismatibus perraro visitur.

ACILIUM ITALIAE.

Caput Juvenile laureatum.

AKI. Diota, ex qua pendent duo uvarum racemi.

Tab. 1. Fig. 6.

Nummi Acilii rarissimi sunt. Caput in antica ab iis a Pellerinio, et a Combio, editis, differt.

AETOLIA.

Caput imberbe laureatum.

AITΩΛΩN. Cuspis. Mandibula apri, et uvarum racemus. In area KΛ.

Tab. 1. Fig. 7.

ALIUS cum AΛΕ. ex adverso.

Tab. 1. Fig. 8.

ALIUS.

Caput Atalantae petaso tectum.

⁞IT⁞ΛΩN. Cuspis. Botrus.

Tab. 1. Fig. 9.

Cic. in Pisonem.

Aetoliam, quae procul a barbaris disjuncta gentibus, in sinu pacis posita, medio fere Graeciae gremio continetur, decedens miseram perdidisti.

Duo nummi priores nominum magistratuum initiis notabiles sunt; secundus etiam perantiquae literae Σ forma. Tertius apri mandibula caret.

ALABANDA CARIAE.

Caput barbatum et laureatum.

ΑΛ. Equus subsultans. Infra, ΑΛ.

Tab. 1. Fig. 10.

Urbs ista adeo opulenta, ut in proverbium abierit Αλαϐανδα Καρων ευτυχεϛατη. Cic. de natura Deorum.

Jam vero in Graecia multos habent ex hominibus Deos, Alabandum Alabandi, Tenedi Tenen, &c.

Aerea Alabandae in rarorum numero habentur.

ALEA ARCADIAE.

Caput barbatum.

ΑΛΕΩΝ. Mulier arieti insidens, citato cursu vehitur.

Tab. 1. Fig. 11.

Typus hic ad lunam, a Pano deperdite amatam, plane spectat, cum in niveum arietem pulcherrimum se convertisset. Virgil. Georgic 3. l. 391.

Munere sic niveo lanae, ...
Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit.

Illustris est hic nummus, tum propterea, quod antea non cognitus, tum etiam, quod aversa pars argumentum rei numismaticae scriptoribus adhuc ignotum proponit. Aeneum ΑΛΕΩΝ typo Jovis sedentis huc vocandum putat Pellerinius; dubitat tamen an non aliud forte elementum nummo suo exclusum praecedat. *Vide Eckhel. Vol. 2. p. 294.*

ALEXANDRIA TROADIS.

Caput Apollinis laureatum adversum.

ΑΛΕΞΑΝΔ. Lyra intra coronam lauream. Infra, monogramma.

Tab. 1. Fig. 12.

ALIUS.

Caput Apollinis laureatum.

ΑΛΕΞΑΝΔ. Equus pascens. Ante, duo palmae rami. Infra monogramma.

Tab. 1. Fig. 13.

Aenei Alexandriae nummi inter raros recensendi. Hi ab aliis promulgatis diversi.

ANDROS INSULA.

Caput barbatum.

ΑΝΔΡ. Tripus.

Tab. 1. Fig. 14.

Tripus ad Andreum, Apollinis et Creusae nepotem, forsitan refert, qui, teste Conone, primam in hac insula coloniam constituit. Ovid. Metam. 7.

At non Oliaros, Dydimeque, et Tenos, et Andros.

Hujus insulae nummi raris adnumerentur; aenei omnes. Hic noster minoris formae est, et ineditus.

AREA INSULA.

Caput barbatum et laureatum.

ΑΡΕΑ. Equus liber currens.


Area Ponti insula, Marti sacrata. Apollonius et Arianus ΑΡΗΑΤΙΔΑ eam vocant. Stephanus ΑΡΕΙΟΣ ΝΗΣΟΣ. Equus Marti dicatus.


Tab. 1. Fig. 15.


Alius hujus insulae nummus apud auctores non repertus est.


TAB I.














































Gul. Parsons, del. et fecit.

ASTERIA INSULA.

Caput imberbe.

A. intra astri radios.

Tab. 1. Fig. 16.

Hic nummulus forsitan huic insulae tribuendus, inter Cephaleniam et Ithacam sitae; quam descripsit Homerus. *Vide Odys.* 4.

Astrum ad nomen Asteriae adludit.

ATHENAE ATTICAE.

Facies Medusae.

AΘE. Minerva gradiens, d. hastam; s. extensa.

Tab. 1. Fig. 17.

Nummus hic singularis est, et notatu dignus, quod antiquissimam elementi E formam nobis exhibit.

Haec E forma, ut ab inscriptionibus colligimus, desueta erat, ineunte jam saeculo quinto ante Christum, vel sub idem fere tempus: collocandus est igitur, inter vetustissimos aeneos Athenarum nummos, qui ad nostram aetatem pervenerunt.

ALIUS.

Caput barbatum vitta redimitum.

ΑΘΕ. Diota intra coronam lauream.

Tab. 1. Fig. 18.

In antica parte caput Bacchi Indici repraesentatum habemus.

Utriusque faciei typus insolens est.

ALIUS.

Caput Minervae galeatum.

ΑΘΕ. Jupiter stans; d. fulmen; s. extensa.

Tab. 2. Fig. 1.

In aversa hujus nummi facie Jupiter dextra tenet fulmen, brachio non, ut moris est, elato.

ALIUS.

Caput idem.

ΑΘΗΝΑΣ Κ Σ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ.

Noctua alis explicatis lauri ramo insistens.

Tab. 2. Fig. 2.

ALIUS.

Caput idem.

ΑΘΗΝΑΣ. ΑΑΡ. ΝΙΚΗΦΟΡΟ∷.

Noctua, ut in priore.

Tab. 2. Fig. 3.

ALIUS.

Caput imberbe laureatum. Infra, ΤΡΙΑ.

ΑΘΕ. Noctua diotae insistens.

Tab. 2. Fig. 4.

Hi nummi, qui sic inscripti cum ΚΣ. ΑΑΡ. et ΤΡΙΑ. insignes sunt; et tertius capite laureato spectabilis.

ALIUS.

Caput Minervae galeatum.

ΑΘΕ. Noctua prorae navis insistens.

Tab. 2. Fig. 5.

Typus aversae insolitus est.

ALIUS.

Caput idem.

AΘE. Noctua stans. Infra, hordei granum. Omnia in corona laurea.

Tab. 2. Fig. 6.

Hunc nummum minutulum ob fabricae elegantiam, quae raro in Athenarum nummis invenitur, edendum curavi.

ALIUS.

Caput imberbe laureatum.

AΘE. Lyra.

Insolens est hic typus.

Tab. 2. Fig. 7.

CAMARINA SICILIAE.

Persona virilis.

KAMA. Noctua. Juxta, lacerta, et hordei granum. Infra, tres globuli.

Tab. 2. Fig. 8.

Virgil. Aen. 3.

Et fatis nunquam concessa moveri
Apparet Camarina procul, campique Geloi.

Hic nummus ab aliis hujus urbis aeneis diversus est.

CARNE PHOENICIAE.

Caput muliebre tiara ornatum.

ΚΑΡΝΕΙΤΑΝ. Navis. Supra, clava.

Tab. 2. Fig. 9.

Carne a Plinio in Phoenicia posita est. *Vide l.* 5. *c.* 20.

Nullus hujus urbis nummus adhuc cognitus; certe unicus est.

CATANA SICILIAE.

Fluvius decumbens; d. cornucopia; s. urnae innixus.

ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Pilei Dioscurorum stellis insigniti. Infra, caput leonis inter monogramma et M.

Tab. 2. Fig. 10.

ALIUS.

Caput barbatum.

KA. Tridens. Juxta, piscis.

Tab. 2. Fig. 11.

Sil. Ital. lib. 3.

Tum Catana ardenti nimium vicina Tyhoeo.

Prior nummus leonis capite insignis: alter ineditus.

CARTHA CEAE INSULAE.

Caput barbatum et laureatum.

KAP. Uvarum racemus.

Tab. 2. Fig. 12.

Ovid. Metam.

Transit et antiquae Cartheia moenia Caeae.

Hujus urbis nummi raris accensentur. Hic quartae formae est.

CARTHAGO AFRICAE.

Caput muliebre spicis, auripendentibus, et monili ornatum.

Equus stans. Supra, cancer. Ante, caduceus, et sertum.

Tab. 2. Fig. 13.

Hic nummus ob res in posticae area notandus.

CARYSTUS, vel CARYSTOS, EUBOEAE.

Protome perjuvenilis, in cujus humero sceptrum, ut videtur.

ΚΑΡΥ. Piscis.

Tab. 2. Fig. 14.

Verisimile est, anticam Palaemonem repraesentare.

Carystus varii marmoris ferax erat. Martial. 9. 76.

Inde beatas lautus extruit thermas,
De marmore omni, quod Carystos invenit.

Senec. in Troad.

Ferax varii lapidis Carystos.

Numismata Carysti aenea rara sunt. Hi typi novi.

CEPHALOEDIUM SICILIAE.

Absque epigraphe. Caput Apollinis laureatum.

Figura stans adversum, d. ignotum quid; s. lyrae innixa. In area ΑΣ. et monogramma.

Tab. 2. Fig. 15.

Sil. Ital. lib. 14.

Quaeque procelloso Cephaloidias ora profundo
Caeruleis horret compis, pascentia cete.

Nummi Cephaloedii cum rarioribus adnumerandi: aenei omnes. Noster ab aliis differt.

CHALCIS EUBOEAE.

Caput muliebre adversum, eleganter ornatum.

ΧΑΛ. Avis volans serpentem tenet. Juxta, spica.

Tab. 2. Fig. 16.

Hic nummus minutulus elegantis operis est, et ab aliis prolatis paulo diversus.

CHIOS INSULA.

Sphinx alata in prora navis sedens.

ΧΙΟΣ. ΤΗΛΕΣ. Diota. Juxta, caduceus.

Tab. 2. Fig. 17.

Tibul. lib. 2.

Nec mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, aut Chio solvite vincla cado.

Hor. Sat. 10.

——— *At sermo lingua concinnus utraque*
Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est.

TAB. II



Gul. Parsons. del. et fecit.

Nullus auctor usum horum vasorum in cuspidem desinentium animadvertit. Froelichius esse gyrgillos serico evolvendo putavit. Revera cuspides in terram, vel arenam, figebantur, vino in cellis sic frequenter condito.

Typus Anticae, ut puto, novus est.

COS INSULA.

Caput Aesculapii laureatum.

Infra, ΔΙΟΔΩΡΟΣ.

ΑΣΚΛΗΠΙ :: ΣΩΤΗΡΟΣ. Baculus Aesculapii.

Tab. 2. Fig. 18.

Magistratus nomen in antica hujus insulae nummorum antea non conspexi; et, ut conjicio, novum est.

ALIUS.

Caput barbatum et laureatum.

ΘΕΟΦΑΝΩ. Caetera discerni non possunt.

Tab. 2. Fig. 19.

Insignis est hic nummus, in cujus antica Hippocratis, medici divini, in Coo nati, effigiem citra dubium habemus; nam

species vultus non protomen esse dei, sed viri comprobat. Nummus sine suspicione fraudis.

ALIUS.

Caput barbatum et laureatum.

ΚΩΙΩΝ. ΑΓΛΑΟΣ. Baculus Aesculapii.

Tab. 2. Fig. 20.

Aglaos, ni fallor, novus magistratus est.

Fuit in hac insula Aesculapii templum augustissimum.

Propert. 1. 2. Vestium tenuium, quae Coae dictae meminit.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus.

DARDANUS TROADIS.

Eques armatus citatissime vehitur. Infra, thyrsus.

ΔΑΡΔΑ. Gallus stans. Sub pedibus spica.

Tab. 2. Fig. 21.

In aliis Dardani nummis ΔΑ. ΔΑΡ. ΔΑΡΔ. saepius leguntur: nec thyrsus repertus. Hujus urbis nummi pro raris habentur: aenei omnes. Hic noster integer est, et elegans.

DELPHI PHOCIDIS.

:: :: ΑΔΡΙΑΝΟC. Caetera exesa. Caput Hadriani laureatum.

ΔΕΛΦΩΝ. Corvus lauri ramo insistens.

Tab. 3. Fig. 1.

Corvus, Apollinis ales.

Albus erat quondam volucris Phoebeia corvus,
Nunc importunae praemia vocis habet.

Autonomi hujus Urbis complures apud Goltzium invenies; alibi non inveniuntur. Imperatorii inter rariores reponendi. Noster ineditus.

ELATEA PHOCIDIS.

Caput barbatum.

ΕΛΑΤΕΩΝ. Navis. Pone, ramus.

Tab. 3. Fig. 2.

Hic nummus operis perantiqui est, et ineditus.

Nummi hujus urbis perrari sunt: duobus solis antehac cognitis, qui etiam secundae magnitudinis sunt.

EPHESUS IONIAE.

ΕΦ. Apis.

ΧΑΡΜΙΝΟΣ. Cervus stans. Supra, pharetra.

Tab. 3. Fig. 3.

Hujus Magistratus in Ephesi nummis adhuc editis non memini.

EPIDAURUS ARGOLIDIS.

Caput Aesculapii laureatum.

ΕΠ. in monogrammate. Hygeia stans, d. pateram; s. serpentem. Pone, NK. in monogrammate.

Tab. 3. Fig. 4.

Nummi Epidauri raris adnumerandi; aenei omnes. Noster propter monogramma posterius notandus.

ERETRIA EUBOEAE.

Caput muliebre velatum.

ΕΡΕΤΡΙΕ :: :: ΑΜΦΙΝΙΚΟΣ. Bos jacens.

Tab. 3. Fig. 5.

Menedemi philosophi patria. Hujus urbis meminit Homer. Il. 2. l. 37.

Nummi Eretriae aenei admodum rari sunt. Hic antea non editus.

ERYTHRAE IONIAE.

Caput Bacchi pampinis ornatum.

ΕΡΥ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Botrus.

Tab. 3. Fig. 6.

Nummus Bacchi capite et operis elegantia insignis.

ALIUS.

Caput Herculis leoninis spoliis tectum.

ΕΡΥ. ΑΥ:: ::ΑΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Clava. Arcus. Pharetra.

Tab. 3. Fig. 7.

Hic nummus quater recusus est, nempe in antica facie cum capite Martis et aliquo ignoto; et in postica cum capite solis, et Minervae galeatae.

Quamquam orbem terrarum peragravit, optime conservatus est.

EUBOEA INSULA.

Bos stans. Supra, clava.

ΕΥΒ. Botrus, Juxta, astrum.

Tab. 3. Fig. 8.

ALIUS.

Caput Minervae galeatum.

ΕΥ. Uvarum racemus.

Tab. 3. Fig. 9.

ALIUS.

Caput muliebre velatum.

ΕΥΒΟΙΩΝ. Infra, Σ.

Tab. 3. Fig. 10.

ALIUS.

Caput Ammonis laureatum.

ΕΥ. Tridens.

Tab. 3. Fig. 11.

Eximius est utriusque faciei typus. Hi nummi monetae hujus insulae cognitae varietatem augent.

HERACLIUM CHERSONESI TAURICAE.

Caput Herculis leonis exuviis tectum.

Absque epigraphe. Clava. Arcus. Pharetra.

Tab. 3. Fig. 12.

Hoc numisma, propter typos et fabricam, huic urbi tribuendum censui. Est mediae formae, et ineditum.

ILIUM TROADIS.

Caput Minervae galeatum.

IΛI. Mulier stolata stans, capite tutulato ; d. hastam inversam in humerum ; s. tres spicas, ut videntur.

Tab. 3. Fig. 13.

ALIUS.

Caput idem.

IΛI. Mulier gradiens ; d. hastam in humerum ; s. facem. Ante, spica. Omnia intra coronam lauream.

Tab. 3. Fig. 14.

ALIUS.

Hector armatus stans.

::ΚΤΩΡ. Litera prima extrita.

ΙΛΙ. Lupa gemellos lactans.

Tab. 3. Fig. 15.

Nemo non videt hujus nummi typos ad Romanos referre, qui originem suam ab Iliensibus ducebant.

Tacit. lib. 4. annal.

Ilienses, cum parentem urbis Romae Trojam referrent, antiquitatis gloria pollebant.

Singularis hic nummus cum parvo capite humano recusus est. Duo priores in aversis partibus nova praeferunt. Nummi hujus urbis tum autonomi, tum imperatorii, inter rariores numerandi.

ISTIAEA EUBOEAE.


Caput imberbe pampinis ornatum.


ΙΣΤΙ. Bovis facies corollis ornata. Juxta, uvarum racemus.

Tab. 3. Fig. 16.


TAB · III













































Gul. Parsons, del. et fecit

ALIUS.

Caput imberbe pampinis ornatum.

ΙΣΤΙ. Bovis pars anterior. Supra, tripus.

Tab. 3. Fig. 17.

Istiaeae meminit Homer. Il. 2.
Hi Istiaeae nummi ab aliis antea vnlgatis diversi sunt.

JULIS CEAE INSULAE.

Caput Muliebre.

ΙΟΥ. Uvarum racemus.

Tab. 3. Fig. 18.

Simonidis patria, et Bacchylidis, et Erasistrati medici, et Aristonis peripatetici.

Nummus hic Julis novus est. Ii cum capite Aristaei, Apollinis et Cyrenes filii, qui in hac insula regnavit, et mellis usum reperit, et Ape ex altera parte, adhuc soli noti.

Hujus urbis numismata inter rariora habenda; aerea omnia.

LACANATIS CILICIAE.

Caput Muliebre spicis ornatum.

ΛΑΚ. Lyra.

Tab. 4. Fig. 1.

Solus Auctor est Cl. Pellerinius, qui hujus urbis nummum produxit. Noster ab eo parum differt.

LACEDAEMON LACONIAE.

ΛΑΚΕϹ. Caput imberbe galeatum.

ΛΑ. ΑΡΙΣΤΑΝΔ. Dioscuri galeati stantes adversum, hastis innixi. Omnia in corona laurea.

Tab. 4. Fig. 2.

Nummus hic eximius est.

ALIUS.

Caput muliebre.

ΛΑ. Aquila stans. Monogrammata duo.

Tab. 4. Fig. 3.

Insignis est hic nummus.

LAMPSACUS MYSIAE.

Caput barbatum et laureatum.

ΛΑΜ. Equus marinus alatus saliens. Infra, tridens.

Tab. 4. Fig. 4.

Lampsacum Ciceroni. Sic enim ille in Ver. *Opidum in Hellesponto est Lampsacum imprimis Asiae provinciae clarum et nobile.*

Lampsaci nummi ex aere inter rariores censendi. Hic cum tridente, non antea, quod norim, vulgatus.

LARISSA THRACIAE.

Caput muliebre adversum passis crinibus.

ΛΑΡΙ. Eques armatus. Infra, M.

Tab. 4. Fig. 5.

Lucan. Lib. 6.

Larissa potens.

Hic nummus ab iis antea prolatis differt.

LEUCAS ACARNANIAE.

Caput Apollinis laureatum.

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. ΔΑΜΥΛ. Lyra.

Damulus etiam in argenteis invenitur.

Tab. 4. Fig. 6.

ALIUS.

Caput Herculis leonis spoliis tectum.

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. ΦΙΛΩΤΑΣ. Lyra.

Hercules musarum hic est.

Tab. 4. Fig. 7.

ALIUS.

Caput idem.

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. ΔΗΝΑΡΕΤΟΣ.

Clava. Juxta, spica.

Tab. 4. Fig. 8.

Leucas, olim peninsula, serius insula reddita. Ovid. Met. 15.

Leucada continuam veteres habuere coloni,
Nunc freta circumeunt.

Propert. l. 3. Eleg. 2.

Leucadius versas acies memorabit Apollo.

Nempe classem Antonii ab Augusto apud Actium profligatam.

Hi nummi magistratuum nominibus et spica spectabiles.

MAGNESIA IONIAE.

Caput Minervae galeatum.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΠΑΥΣΑΝΙΑ ⁝⁝ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟ ⁝⁝ Victoria gradiens; d. scutum; s. palmae ramum in humerum.

Tab. 4. Fig. 9.

Nummus antea non editus. Est mediae formae.

MALIENSES THESSALIAE.

Caput Minervae galeatum.

ΜΑΛΙΕΩΝ. Vir nudus sagittam emittens. Infra, clava.

Tab. 4. Fig. 10.

Nummi Maliensium inter rariores ponendi. Hic ab iis vulgatis diversus est.

MEGARA SICILIAE.

Caput muliebre spicis ornatum.

ΜΕ.

Tab. 4. Fig. 11.

Nummi certi hujus Megarae rarissimi sunt. Noster ab illo a Pellerinio producto diversus.

MENA SICILIAE.

Caput barbatum et laureatum, flore loti insigne. Pone, E.

MENAINΩN. Victoria bigam agens.

Tab. 4. Fig. 12.

In hoc nummo Flos Loti, in Jovis capite, distincte et eleganter expressus est: hac de causa aere insculpandum curavi.

METHYMNA LESBI.

Duorum caprorum partes anteriores. Infra, uvarum racemus.

ME. Lyra.

Tab. 4. Fig. 13.

Ad Arionem spectat lyra, qui in hac insula natus est. Mart. 8. 51.

Sic Methymnaeo gavisus Arione delphin,
Languida non tacitum per freta vexit onus.

Virgil. Georgic. 3.

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos.

ΜΑ. Dorice in hujus urbis numismatibus saepius legitur.

Typus aversae faciei singularis est. Nummi Methymnae rari sunt: aenei omnes.

MYTILENE LESBI.

Caput Apollinis radiatum.

ΜΥΤΙ. Tripus. Sertum.

Tab. 4. Fig. 14.

Mytilene urbs maxima Lesbi: Pittaci, Alcaei, Sapphus, Terpandri, Diophanis oratoris, Theophanis historici, natalibus illustris. Hor.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenem.

Nummi hujus urbis inter rariores collocandi: hic ab eo a Pellerino prolato diversus est.

NAXUS INSULA.

Caput barbatum pampinis ornatum.

ΝΑ. Diota. Supra, botrus.

Tab. 4. Fig. 15.

Virgil. Aen. 3.

Bacchatumque jugis Naxum, viridemque Donysam.

Cl. Eckhelio libenter assentio dicenti, argenteos omnes Naxi nomine insignes, ad Naxum Siciliae pertinere; ut aeneos ad Naxum insulam. Nummi Naxi cum raris locum habent. Hic minoris formae est, et operis eximii.

OPHRYNIUM TROADIS.

Caput Hectoris adversum, galeatum, barbatum.

Epigraphe detrita. Vir nudus genuflexus, d. botrum praetendit. Infra, palmes.

Tab. 4. Fig. 16.

ALIUS.

Caput idem.

ΟΦΡ. Vir, ut in priore, absque palmite.

Tab. 4. Fig. 17.

Hi nummi Hectorem repraesentant, docente Strabone. Non procul inde Ophrynium; ibi lucus Hectoris est loco conspicuo.

Palmes in priore peculiaris est. Alter, qui ex aere minoris formae est, alibi non promulgatus. Nummi Ophrynii perrari sunt: omnes aenei.

TAB·IV



Gul. Parsons. del. et fecit.

OPUNTII LOCRIDIS.

Caput juvenile leoninis spoliis tectum.

Oπ. Uvarum racemus, cum vite et pampinis.

Tab. 4. Fig. 18.

Ovid. Pont. l. 1. El. 4.

Caede puer facta Patroclus Opunta reliquit.

Nummi Opuntiorum aerei pro raris habentur. Hic singularis est, et perelegans.

PARIUM MYSIAE.

Caput Minervae pectore tenus.

ΠΑΡΙ. Ara.

Tab. 4. Fig. 19,

ALIUS.

Bos stans. Supra, monogramma.

Π :: Ρ :: Ara ignita.

Tab. 4. Fig. 20.

Cl. Sestinius typum arae in Parii nummis, mole et pulchritudine conspicuae, cujus singula latera longitudinem stadii aequabant, primus ex Strabone praeclare explicuit.

Sil. Ital. Argonaut. Lib. 2.

Jam juga Percotes, Pariumque infame fragosis
Exsuperant, Pythiamque vadis.

Nummi hujus urbis aenei de rariorum numero sunt. Hi, propter protomen Minervae, et monogramma, peculiares.

PELUSIUM AEGYPTI.

Caput imberbe galeatum.

ΠΕΛΥΣΙΩΝ. Bos stans. Inter crura N.

Tab. 5. Fig. 1.

Lucan. l. 8.

In vada decurrit Pelusia septimus amnis.

Autonomum hujus civitatis nemo antea produxit.

PETRA MARMARICAE.

Caput Herculis leonis spoliis tectum.

ΠΕΤΡΕΙΝΩΝ. Mulier stolata stans; d. elata; s. columnae innixa.

Tab. 5. Fig. 2.

Aeneum tertiae formae edidit Pellerinius, in quo legitur ΠΕ ΡΑ. et ad hunc Marmaricae portum eum tribuit;

sed cum manca et inusitata est inscriptio, nemo, ut opinor, temere illi assentiet.

Alium hujus urbis nummum, alibi editum, non conspexi.

PHAESTUS CRETAE.

Caput imberbe galeatum.

Φ. Bos Cornupeta.

Tab. 5. Fig. 3.

Hic nummus anticae typo insignis est.

PHILIPPI MACEDONIAE.

Caput Herculis leoninis exuviis tectum.

ΦΙΛΙΠΠ. Tripus. Juxta, clava, et hordei granum.

Tab. 5. Fig. 4.

Act. Apostol. 16. 12.

Εκειθεν εις φιλιππους ητις εστι πρωτη της μεριδος της Μακεδονιας πολις.

Hujus urbis nummi pro raris notantur. Hic ab aliis diversus est.

PHOCIS.

Caput bovis adversum infulis ornatum.

ΦΑΛΔΙΚΘΥ. in corona laurea.

Tab. 5. Fig. 5.

Insigne est hoc Phocaeorum numisma magistratus nomine.

ALIUS.

Typus idem.

ΦΩ. in laurea.

Tab. 5. Fig. 6.

Aenei hujus regionis, qui caput bovis in antica, et ΦΩ. intra lauream in postica parte exhibent, rarissimi sunt. Pellerinius unum non attulit. Hic noster integerrimus est.

ALIUS.

Caput galeatum adversum.

ΦΩ. in laurea.

Tab. 5. Fig. 7.

ALIUS.

Caput idem.

ΦΩ. in monogrammate intra lauream.

Tab. 5. Fig. 8.

Hi nummi inediti propter ΦΩ. in aversis notatione digni sunt; nam clare docent, aeneos omnes cum iisdem typis, nempe cum capite galeato adversum in anticis, et litera Φ sola ex partibus alteris, non ad Phaestum in Creta insula, cui urbi hactenus a Pellerinio et aliis dati, vel inter incertos sepositi, sed ad Phocidem regionem pertinere.

Phocis, regio Achaiae, in qua Delphi urbs, et Parnassus mons cum Helicone.

Ovid. Met. 1.

Separat Aonios Actaeis Phocis ab arvis.

PISAURUM UMBRIAE.

Caput muliebre tiara ornatum.

ΠΙC. Vas monotum. Infra, notae 1111. 000.

Tab. 5. Fig. 9.

Liv. Lib. 39. Cap. 44.

Eodem anno, nempe U.C. 566. coloniae duae, Potentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum deductae sunt.

Plin. Lib. 3.

Pisaurum cum amne.

Pauci hujus urbis nummi ex aere gravi extant, in quibus ΠΙΣ. retrograde legitur. Pellerinius unum tantum tertiae formae exhibuit, cum capite juvenili galeato adversum in antica facie, et Cerbero gradienti in altera. Noster, qui ex aere parvo est, a nullo auctore visus.

SACILI HISPANIAE.

Caput barbatum hedera redimitum.

SACILI. Equus gradiens.

Tab. 5. Fig. 10.

In conventu Cordubensi Sacili. Vid. Plin.

Hic nummus et Bacchi capite, et mole, atque operis elegantia, conspicuus est: nec Cl. Florezio, nec alio auctori notus. Est primi moduli.

Quamvis nummus praesens ad nostram classem non pertinet, tamen propter ejus merita huic operi inserendum censui.

SALAMIS INSULA.

Caput muliebre tiara ornatum.

ΣΑ ΛΑ. Clypeum Boeoticum, in cujus medio pharetra cum vinculo.

Tab. 5. Fig. 11.

Hos nummos Eckhelius Larymnae Boeotiae attribuit. Neumannus nummum edidit, in quo legit ΛΑ. ΣΑ. pro ΣΑ. ΛΑ. et Larymnae Salganeoque ejusdem Boetiae urbibus, eum dedit. Tandem Sestinius, in aliis similibus ΣΑΛΑ. uno verbo legens, ad Salamina insulam eos revocavit; cujus sententiae libenter accedo.

Nummi hujus insulae inter rariores referendi: his solis cognitis.

Noster integerrimus est, et pharetra conspicuus.

SAMOS INSULA.

Pars navis anterior.

ΣΑΜΙΩΝ. Idem typus cum tridente.

Tab. 5. Fig. 12.

Pythagorae patria. Sid. Apollin.

Asserit haec Samius post docta silentia lustri
Pythagoras.

Nummum hunc minutulum nunquam editum vidi. Autonomi hujus insulae aenei inter rariores collocandi.

SIGEUM TROADIS.

Caput galeatum adversum.

ΣΙΓΕ. Noctuae binae communi capite. Juxta, lunula.

Est secundae formae.

Tab. 5. Fig. 13.

ALIUS.

Caput idem.

ΣΙΓΕ. Noctua stans. Juxta, lunula.

Ex aere minimo est.

Tab. 5. Fig. 14.


Achilles, teste Strabone, hic sepultus est, et monimentum et templum habuit. Narrat etiam Sigeum extructum fuisse ex lapidibus veteris Trojae. *Minime mirandum,* Eckhelii verba sunt, *non extare plures hujus urbis nummos; nam refert idem Strabo eum ab Iliensibus fuisse dirutum; et ex Strabonis et Plinii verbis colligitur, eorum aetate illum non amplius extitisse.*


TAB · V













































Gul. Parsons del et fecit

Ovid. Ep. 1.

Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus,
Hic steterat Priami regia celsa senis.

Hi Sigei nummi nec a Pellerinio nec ab Eckhelio, aut alio auctore, quod sciam, prolati: aeneis tertiae formae, qui rarissimi, adhuc solis cognitis.

TANAGRA BOEOTIAE.

ΑΥΤ. ΚΟΜΟΔΟϹ ΚΑΙΣΑΡ.

Caput Commodi juvenile.

ΤΑΝΑΓΡΑΙΩΝ. Templum, in quo idolum, et ara ignita.

Tab. 5. Fig. 15.

Ejus meminit Statius,

Mille sagittiferos gelidae de colle Tanagrae.

Nummi Tanagrae tum autonomi, tum imperatorii, rarissimi sunt. Hic noster ineditus.

TENEDOS INSULA.

Bipennis.

TE. Idem typus inter duos botros.

Tab. 5. Fig. 16.

Virgil. Aen. 7.

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum Priami dum regna manerent.

Securis Tenedia pro expedita et severa justitia, apud veteres proverbium erat.

Nummi hujus insulae ex aere, inter rarissimos numerandi. Pellerinius unum tantum promulgavit. Noster diversus est.

THEBAE BOEOTIAE.

Caput barbatum et laureatum.

ΘEB. Diota.

Tab. 5. Fig. 17.

ALIUS.

Caput barbatum leonis spoliis tectum.

ΘEB. Clava. Sagitta.

Tab. 5. Fig. 18.

Urbs antiquissima a Cadmo condita; hinc Propertius 1. 7.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae,
Armaque fraternae tristia militiae.

Hae Thebae septem portas habuere: unde Juvenal. Sat. 13.

Rari quippe boni; numero vix sunt totidem quot
Thebarum portae, vel divitis ostia Nili.

THESSALIA.

ΦΕΡΕΝΩ. ΘΡΑΠΤΗΣ.

Caput imberbe galeatum.

ΘΕΣΣΑΛΩΝ. Equus cum freno subsultans. Ante, spica hordei.

Tab. 6. Fig. 1.

ALIUS, Cum ΝΥΣ. in antica.

Tab. 6. Fig. 2.

ALIUS.

Caput barbatum et laureatum.

Equus liber currens. Supra, stella. Infra, ATP. in monogrammate.

Tab. 6. Fig. 3.

Nummus hic ad Atracem in hac regione forsitan referendus, cujus urbis aerei rarissimi. Eckhelius argenteum edidit cum AT. in monogrammate.

Atraciam artem Statius appellavit Magiam, quae apud Thessalos plurimum viguit. Theb. 1.

. . . . Qualis per nubila Phoebes
Atracia rubet arte labor.

Prop. lib. 1.

Et dicam Atraciis licet haec confidat in oris.

Primum in Thessalia ortum equum poetae narrant, inter quos Lucan. lib. 6.

Primus ab aequorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen,
Exiluit: primus chalybem, frenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithae domitoris habenis.

Prior propter duplicem magistratum in antica; alter propter ΝΥΣ. notandi.

THESSALONICA MACEDONIAE.

Caput Dianae.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΙC. sic. Botrus. Infra, monogramma.

Tab. 6. Fig. 4.

Claud. in Ruf.

Tangebat Macedum fines murosque subibat

Thessalonica tuos.

Typus utriusque faciei non antea, quod norim, editus.

THURIUM LUCANIAE.

Caput Minervae galeatum.

ΘΥΡΙΩ ⁞⁞ ΑΡ. ΙΠ. Bos cornupeta. Infra, piscis.

Tab. 6. Fig. 5.

Ovid. Met. 15.

Thurinosque sinus, Temesenque et Iapygis arva.

Nummi Thurii aenei mediae formae, inter perraros habentur. Hic nominum magistratuum initiis notabilis.

THYREUM vel THYRREUM ACARNANIAE.

Caput imberbe laureatum.

ΘΥΡΗ. Apis.

Tab. 6. Fig. 6.

Nummus hic ineditus eximiae celaturae est. Cl. Eckhelius solus auctor est, qui hujus urbis aeneum nobis obtulit.

TIUM BITHYNIAE.

Caput imberbe galeatum.

TIEI. Tridens.

Tab. 6. Fig. 7.

Insolens est in hoc nummo lectio. Autonomi TIANΩN: sed imperatorii TIANΩN et TEIANΩN offerunt. Priores inter rarissimos recensentur. Typos nostri hactenus editos non vidi.

TYNDARIS SICILIAE.

Caput barbatum.

ΤΥΝΔΑΡΙΤΑΝ.

Tab. 6. Fig. 8.

Messeniis a patria Lacedaemoniis expulsis, hic a Dionysio seniore sedem obtinebant. Dio. l. xvi. Nummi hujus urbis inter rariores computandi. Typus aversae novus est.

SUPPLEMENTUM.

ACRASUS LYDIAE.

Caput Herculis barbatum.

ΑΚΡΑCΩΤΩΝ. Leo gradiens.

Tab. 6. Fig. 1.

Autonomi duo soli antea cogniti, et ii apud Haymium; in quibus ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ legitur: sed in nostro, qui integerrimus, ΑΚΡΑCΩΤΩΝ. Typus posticae etiam diversus, nam pro Telesphoro stante, leonem gradientem prae se fert, cum capite Herculis in antica, ut in primo Haymii nummo: quem vide.

ABACAENUM SICILIAE.

Caput imberbe.

ΑΒΑ. Aper stans.

Tab. 6. Fig. 2.

Nummi hujus urbis aenei inter rarissimos locandi. Typus utriusque faciei in aere novus est.

APAMEA PHRYGIAE.

Caput Minervae galeatum.

Absque epigraphe. Aquila supervolans flexus Maeandri. Supra, stella. Hinc inde stella cum pileo.

Tab. 6. Fig. 3.

Nummi hujus Apameae obvii. Hic mole illustris.

CHALCIS EUBOEAE.

Caput muliebre eleganter ornatum.

ΧΑΛ. Aquila volans serpentem rostro et unguibus tenet. Supra, tridens.

Tab. 6. Fig. 4.

Nummus hic tridente spectabilis.

CHIOS INSULA.

ΧΑΛΠΗ. Sphinx alata sedens.

ΧΙΟΣ. ΠΙΕΦΑΝΗΦΟΡΟΣ. Diota. Uvarum racemus.

Tab. 6. Fig. 5.

Hoc numisma, vasis forma, et magistratus nomine ex adverso, perinsigne est.

CROTON BRUTTIORUM.

Caput Herculis barbatum leoninis spoliis tectum.
Supra, ΔI.

ΚΡΟ. Aquila leporem devorans.

Tab. 6. Fig. 6.

Cl. Eckhelius duos hujus urbis argenteos edidit, in quibus Hercules ΟΙΚΙΣΤΑΣ. seu conditor, dictus, et aeneum cum ejus capite, supra quod ΔΙΟΣ; et in altera parte cum leone serpentem devorante.

Ovid. Met. lib. 15.

Non procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus: jussaque * *ibi moenia terra*
Condidit: et nomen tumulati traxit in urbem.
Talia constabit certa primordia fama,
Esse loci, positaeque Italis in finibus urbis.

Petronius in satyrico. *Donec a villico quodam Crotona esse cognovimus, urbem antiquissimam, et aliquando Italiae primam.*

Aenei Crotonis de rariorum numero sunt.

DELOS INSULA.

Avis volans.

* Nempe Hercule.

ΔH. in corona laurea.

Tab. 6. Fig. 7.

Cycladum, omnium clarissima, in qua Latona Apollinem et Dianam enixa: unde diis illis sacrata.

Hujus insulae nummi perrari. Nummulum hunc editum non vidi.

NOLA CAMPANIAE.

Caput imberbe galeatum. Supra, ΝΩ.

Eques armatus citatissime vehitur.

Tab. 6. Fig. 8.

De situ opidi ita canit Silius lib. 12.

